



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

1 An poßint esse instrumenta physica gratiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

tionis, quae sub hac lege, & modo fieri potuit, & facta creditur, quando finis & natura sacramenti id postulare videtur. Vnde ad fundamenta secundae opinionis dicitur, hanc promissionem, & institutionem non esse eiusdem rationis in omnibus sacramentis, quia non est in omnibus eadem causa, & eadem necessitas, ut declaratum est. Caetera, quae ibi dicuntur, facilia sunt, & ideo non est necesse ad singula prolixius respondere.

DISPUTATIO IX.

De modo, quo sacramenta efficiunt gratiam.

In hac disputatione non est sermo de modo effectiois, ex parte ipsius effectus, ut ita dicam, id est, an fiat in instanti, vel successiue, vel an fiat per creationem, vel educationem de potentia subiecti. Nam prior quaestio in precedenti disputatione expedita est: posteriore vero obiter attingemus in sequentibus: est igitur sermo de modo effectiois seu causalitatis ex parte ipsius cause, seu sacramenti. Supponimus autem tanquam certum, sacramentum non efficere gratiam, ut causas principales, sed ut instrumenta. Quod est per se notum, quia neq; ex se, neq; in se habent virtutem sufficientem ad huiusmodi effectum producendum. Solum ergo superest quaestio de modo instrumentorum, id est, an sacramenta efficiant, ut propria instrumenta physica, vel alio perfectiori modo, & minus proprio. In quare dicemus prius, quid fuerit possibile, deinde quid de facto fuerit à Christo institutum.

SECTIO I.

Verum sacramenta poterint esse propria causa instrumentales physica, gratia sanctificantis.

1. Sententia negat.
Durand.
Scotus.
Capreol.

Fundamen.

Autores fere omnes, qui negant, sacramenta de facto esse instrumenta physica, supponere videntur esse impossibile communicare sacramentis, hoc causalitatis genus, & ita videntur procedere, Durand. Scot. Capreol. & alij sect. sequenti citandi. Potest autem haec sententia fundari, primo in speciali quadam proprietate sacramentorum, eorum praesertim, quae in usu consistunt, scilicet, qui sunt Entia successiua, quae diu sunt, non sunt perfecta, & quando sunt perfecta iam non sunt: quando autem non sunt, efficere non possunt. Sed hoc fundamentum expeditum à nobis est ex dictis disputatione precedenti, sect. 2. Vbi declarauimus, quomodo effectus gratiae fiat in aliquo instanti, in quo sacramentum pericit & existit per aliquid reale, pertinens ad intrinsecum complementum suum, per quod potest gratiam efficere. Secundo fundari potest haec sententia in aliqua speciali proprietate gratiae efficiendae per sacramentum, scilicet, quia gratia tantum potest fieri per creationem: nulla autem creatura potest esse creationis instrumentum. Maior patet, quia cum gratia sit forma supernaturalis, non continetur in potentia animae: ergo non potest inde educi: oportet ergo, ut creetur. Tertio potest fundari in generali ratione omnium virtutum creaturae, & ideo non videntur proprie ac physice effici posse ab inferiori creatura: quia impossibile est operari sine virtute operandi: creatura vero non habet virtutem ad gratiam efficiendam. Quia neq; habet illam connaturalem, cum tota illa actio sit supra naturam eius: nec superadditam, quia nulla res seu qualitas ei additur, per quam agat. Quae ratio maxime locum habet in sacramentis, quae in esse naturae, seu entitatis suae sunt valde imperfecta: quia solent esse quidam motus locales, vel soni: aut voces. Et augeri potest haec difficultas. Primo, quia in his rebus praesertim in sacramentis, nulla potest intelligi actio propria proprii instrumenti, per quam

concurrat ad gratiam efficiendam: sed sine huiusmodi actione non potest intelligi, propria ratio instrumenti, quia de ratione instrumenti est, ut de se aliquid conferat, & agat ad effectum principalis agentis, alias vix intelligi potest, quomodo instrumentum sit. Confirmatur secundo, quia, si sacramenta possunt assumi, ut instrumenta, ad efficiendam gratiam, eadem ratione qualibet res posset esse instrumentum ad efficiendam quamcumq; aliam. Quia non est maior ratio de vna, quam de alia: consequens vero videtur falsum, alias per sensum posset Deus efficere visionem beatificam, & per relationem posset efficere rem absolutam, quantumuis perfectam. Vnde etiam fieret, ut non minus per diuinas etiam relationes posset Deus efficere per creaturas, non habentes virtutem connaturalem operandi, quae per relationes sibi proprias, & intrinsecas: consequens autem est falsum, alias etiam posset Deus aliquid efficere per vnam relationem personalem, & non per aliam, atque ita opera Trinitatis ad extra non essent necessario indiuisa.

Nihilominus dicendum est non esse impossibile, neque implicare contradictionem, ut sacramenta fieri propria, ac physica instrumenta ad gratiam in anima efficiendam, attingendo immediate ad proxime ipsam gratiae productionem. Haec est sententia D. Thomae in his articulis, quam Caiet. sequitur & alij eius discipuli frequentius. Et probari potest, primo omnib; testimoniis, quibus infra probabimus, ita esse de facto. Secundo probari potest ex his, quae docuimus in primo tomo huius partis disput. 31. ubi ostendimus Christi humanitatem fuisse instrueretum physice gratiam efficiens: non est autem maior implicatio contradictionis in sacramentis, ut per se colat. Quia Christus aut verbo, aut tactu suo gratiam conferbat: cur ergo non poterit idem facere, per verbum sacerdotis, seu ministri? Tertio: ratio à priori est, quia non implicat contradictionem, ut Deus faciat creaturam aliquam pendere ab alia à qua ex natura sua non pendet: neq; implicat Deum facere, ut creatura aliter producat, quam ex natura sua produci possit. Neque etiam repugnat, ut aliqua naturalis potentia aliquid efficiat ultra suas naturales vires, ut verbi gratia, quod intellectus efficiat visionem beatam: ergo pari ratione non implicabit contradictionem, quod sacramenta efficiant gratiam. Sed hoc ostendetur melius, soluendo difficultates, & repugnantias, quae in hac effectiois esse videntur: nam si nulla afferri potest ratio, quae ostendat hoc implicare contradictionem, non est cur asseramus hoc esse Deo impossibile. Et quoniam, ut dixi, prima difficultas in superioribus expedita est, reliquis tantum satisfaciendum erit.

Secunda ergo difficultas non solum alios auctores, sed etiam plures ex D. Thomae sectatoribus torset, & ideo varie circa illam locuti sunt. Primus modus respondendi est, illo argumento recte probari, sacramenta non posse esse instrumenta physica ad efficiendam gratiam immediate, ac proxime illa attingendo: esse tamen instrumenta ad efficiendam aliquam dispositionem, ut characterem, vel ornatum, ad quem statim sequitur gratia: sicut (iuxta multorum opinionem) calor est instrumentum ignis ad producendum ignem, non quia attingat ipsam substantialem formam ignis proxime, & immediate, sed quia efficit dispositionem, ad quam illa forma consequitur. Ita opinatus est D. Thom. q. 27. de verita. artic. 4. ad 3. & in 4. d. 1. q. 1. artic. 4. quem secuti sunt ibi Paluda. q. 1. opinione 2. Capreol. q. 1. concl. 3. Thomas de Argentin. q. 1. & in 2. d. 19. q. 1. art. 3. Sed hic modus dicendi mihi omnino displicet. Quia neq; vlla ratione fulcitur, nec consequenter loquitur. Quia necesse est, ut in eandem difficultatem incidat, quae vitare cupit: vnde difficultatem non soluit, sed auget. Quod ut declarem, interrogo de dispositione illa, quam dicuntur sacramenta efficere, an sit qualitas aliqua naturalis, vel supernaturalis: nam primum horum dici

Sacramenta esse instrumenta physica non repugnat. D. Thom. Caiet.

Ad 1. fundamentum curie respondetur. 1. Modus.

D. Thom. Palud. Capreol. Argem. Responsum.

non

non potest: tum quia huiusmodi qualitas naturalis gratis ac sine fundamento esset coniecta: neque explicari potest: quæ vel qualis sit, aut quod sit eius munus: tum etiam, quia secundum fidem nulla qualitas naturalis ex se sufficiens dispositio, ut ad eam gratia consequatur: necessarium ergo est dicere, illam dispositionem esse qualitatem aliquam supernaturalis. Quo posito, argumentor: primo, quia vel illa qualitas sit per creationem, vel non, si creatur: ergo non magis potest immediate fieri per sacramenta, quam gratia: ergo oportebit aliam fingere dispositionem, quam possit sacramentum attingere, de qua eadem redibit quaestio, & argumentandi ratio: atque ita poterit in infinitum procedi. Si vero non creatur: ergo nec gratia creabitur: quia licet dici possit, gratiam esse perfectiorem qualitatem, quæ sit illa dispositio, tamen in hoc conuenit, quod utraq; est forma supernaturalis, & utraq; sit in subiecto ultra naturalem capacitatem eius: ergo, vel utraq; creatur, vel neutra. Secundo, hæc qualitas, seu dispositio supernaturalis, gratis est coniecta, & sine fundamento: nam in primis: licet certum de fide sit, tria sacramenta imprimere characterem, qui est veluti potentia quædam, aut spiritalis signaculum, quo anima ad speciale aliquod munus obeundum consignatur: tamen proprie, & in rigore, loquendo, non potest character dici dispositio, ad quam gratia consequatur: quia nec gratia ipsa ex se postulat talē dispositionem, ut constat, quia sine huiusmodi characterē multis temporibus gratia est hominibus communicata: & nunc etiam sæpe communicatur, cum tamen nunquam detur sine propria, & conaturali dispositione, quam ipsa gratia secundum se requirit: ergo ex parte ipsius gratiæ non est hæc dispositio ad illam. Neque est ex parte characteris reperitur illa naturalis connexio, ut posito characterē, necessario ponatur gratia: quia licet de facto ita sit, ut cui datur character, datur etiam gratia, ablato obiecto, propter diuinam promissionem, vel efficaciam sacramentorum: tamen, quod hoc sit ex naturali connexione ipsarum qualitatum, non potest cum fundamento, sed mere gratis affirmari, alioquin est posset aliquis dicere, amissa gratia: amitti characterem, quia ablata forma, aufertur vltima dispositio. Igitur si hæc sacramenta, quæ characterem imprimunt, nullam possent habere efficientiam circa gratiam præter eam, quam habent circa characterem, propter illam solam non possent dici instrumenta physica gratiæ sanctitatis. Tertio, in sacramentis, quæ non imprimunt characterē, vanum est fingere qualitatem illam præuiam ad gratiam, quæ dicitur, ornatus. Quæ est enim qualitas ista? aut in quo est subiecto? aut propter quæ finem, vel effectum ponitur? Nihil sane responderi potest probabiliter: quod in hunc modum declaratur. Quia anima suis actibus, & habitibus ornatur: ille autem ornatus non est habitus operatiuus, ut prædicti etiam auctores cōcedunt: quia non posset esse, nisi aliqua ex virtutibus infusus. Et hinc fit, huiusmodi ornatum non esse in potentia animæ: quia in eis tantum sunt habitus operatiui: neque etiam est, cur fingatur esse in essentia, quia ad nullum finem est necessarius: quia, nec ponitur ad consignandum hominem ad aliquod spirituale munus: alioquin esset character, & ita omnia sacramenta imprimeret characterem, quod est contra mentem Conciliorum, & contra rationem: quia nullum est speciale munus, ad quod obeundum consignentur homines per cetera sacramenta. Neque etiam dari potest huiusmodi ornatus in essentia animæ, ut sit dispositio ad gratiam, tum quia alias, etiam alia sacramenta, quæ imprimunt characterem, præter characterem imprimerent huiusmodi ornatum, tum est, quia si gratia indigeret huiusmodi dispositione, etiam postulerent illam in iustificatione, quæ sit extra sacramentum. Tum præterea, quia anima per se est capax gratiæ, quæ immediate illam informat, & perficit: nec est, cur requirat

illam dispositionem physicam per modum habitus, seu actus primi. Tu denique quia alias est in voluntate esset necessarius ornatus præuius: qui esset dispositio ad infusionem charitatis, imo ad ipsum ornatum posset requiri alia dispositio, & sic in infinitum. Præterea hic ornatus non est aliquis actus secundus, quia non potest esse nisi aliquis actus alicuius virtutis, neque alium in nobis experimur, neque aliquid aliud fingi, vel excogitari potest. Ac denique quia iuxta veram a sanctam doctrinam, ut hæc sacramenta conferant gratiam, non est necessaria ex parte hominis alia dispositio, nisi vel attritio, vel contritio, aut dilectio, aut alij similes actus. Quarto sumi potest speciale argumentum ex effectione seu consecratione Eucharistiæ: *Ad effectum sacramenti que necessaria dispositio.* ibi non potest fingi ornatus, qui sit dispositio præuia ad transsubstantiationem: quia illa dispositio non posset fieri in substantia panis, quia hæc iam non est, quando verba efficiunt transsubstantiationem, & ante illud instans verba nihil efficiunt, quia nondum habent completam significationem, & sensum. Nec posset fieri illa dispositio in corpore Christi: tum, quia per hoc mysterium nulla qualitas additur corpori Christi, sed sola sacramentalis presentia: tum etiam, quia corpus Christi non est subiectum, quod præsupponitur transsubstantiationi, sed est primarius terminus eius: non ergo præsupponitur tanquam subiectum, in quo recipiatur præuia dispositio. Nec denique fieri potest illa dispositio in accidentibus panis & vini, propter similes rationes, scilicet, quia illa accidentia nihil acquirunt in hoc mysterio præter modum per se existendi, ad quem non potest disponere qualitas aliqua, cum omnis qualitas natura sua postulet esse in subiecto. Dicitur fortasse, in hoc opere non esse necessariam dispositionem præuiam, quia non fit per creationem sicut fit gratia. Respondetur primo non esse minorem difficultatem in instrumento transsubstantiationis, quam creationis, ut in dicta disputatione 31. primi tomi, attingi, & latius infra dicam tractando de Eucharistia. Si ergo verba consecrationis possunt immediate attingere transsubstantiationem, & non tantum dispositionem præuiam, poterunt verba Baptismi, vel Pœnitentiæ immediate attingere effectiōnem gratiæ. Ac deinde tota hæc responsio supponit, & gratiam creari, & non posse dari instrumentum creationis, neutrum autem est verum, ut dicemus.

Secundus modus expediendi hanc difficultatem est Soti in 4. dist. 1. q. 3. art. 1. quem probabilem etiam existimat Ledesin. 1. part. 4. q. 3. art. 1. nimirum sacramenta non posse efficere gratiam ipsam, posse tamen efficere hominem gratum Deo: quia, licet effectio ipsius gratiæ sit creatio, tamē, quod homo fit gratus Deo, non fit per creationem. Quod altero è duobus modis videtur Soto explicare. Primus est, quia esse gratum Deo, de se non requirit qualitatem: fieri enim potest sine illa: ergo possunt sacramenta efficere hominem gratum Deo, etiam si non creant gratiam in illo, quamvis Deus statim sua propria actione & creatione illam qualitatem infundat. Sed hæc sententia hoc modo explicata omnino improbabilis est. Primo, quia, esto, concedamus, hominem posse fieri gratum Deo sine qualitate inherente, tamē hoc posito, multo esset impossibilis, quod sacramenta essent physice instrumenta ad efficiendum hominem gratum Deo. Quia tunc solum fieret homo gratus per extrinsecam benevolentiam, vel acceptationem ad supernaturalia dona: quæ denominatio nullo modo fieri posset effectiue a sacramentis, esset enim extrinseca ab actu Dei, & nihil in homine intrinsecum poneret: sacramenta autē nec possent efficere ipsum actum Dei, ut per se constat, nec denominationem ab actu illo desumptam, quia talis denominatio, ut dixi, nihil ponit in homine: efficiencia autem realis necesse est, ut habeat aliquem effectum realem in subiecto, circa quod fit: nam si nihil sit, nulla potest esse effectio.

Quod

Char. Er
non sit dis
positio ad
gratiam.

Obiectio.
Responsio.

D V
11

2. Modus dis
cend.
Soto.
Ledesin.

Resoluitur.

& dependentiam, quæ esse non potest, nec conferuari sine corpore, actio enim illa, per quam fit, vt conferuetur vnio, essentialiter pendet à corpore: ergo, si per illam actiõnem cõseruaretur existentia animæ, conferuaretur per actiõnem dependentem à corpore: ergo quamdiu esset in corpore, non aliter conferuaretur, quam aliæ formæ: ergo destructo corpore, nulla esset ratio, cur magis conferuaretur, quam aliæ formæ. Igitur ex independentia, quam existentia animæ habet ab vnione ad corpus, recte colligitur, etiam eo tempore, quo est corpori vnita, per aliam actiõnem conferuari existentem distinctam ab ea, qua conferuatur vnita: scilicet vnio est in qualitate gratiæ. Nam in sua existentiã ita pendet ab vnione, vt naturaliter, & ex vi illius actiõnis, qua nunc conferuatur in suo esse, non possit manere existens ablata vnione, & ideo nulla est necessitas fingendi ibi duas actiõnes, alteram, qua simpliciter conferuetur existentia gratiæ: alteram, qua conferuetur vnita. Nam ipsa vnio est vnica actiõ conferuari sine vnione. Alioquin, si illæ essent duæ actiõnes distinctæ, nulla posset reddi naturalis ratio, ob quam, dissoluta vnione, & cessante actiõne, per quam vnio conferuabatur, non posset manere gratia existens, & durare actiõ, per quam ipsa gratia conferuabatur secundum se. Nam hæc actiõ cum non attingat vnionem, ex natura sua non pendet à subiecto: actiõ enim circa subiectum, nec intelligi potest sine vnione, saltem in fieri. Ergo ablato subiecto, & vnione ad illud, posset actiõ illa, & terminus eius ex natura sua durare. Non enim alia ratione permanet anima corpore destructo: ergo non sunt duæ actiõnes, sed vna, qua conferuatur gratia, & qua conferuatur vnita.

Tertio ex his colligitur alia differentia in ipso fieri, quæ præcedentem confirmat, & declarat: videlicet, quod cum anima fit, alia est actiõ, per quam in suo esse producit, & alia, per quam corpori vnitur. Nam sicut habet esse independentem à corpore, ita etiam necesse est, vt fiat & recipiat esse per actiõnem independentem à corpore, quæ non potest esse actiõeductiua, neque etiam vnitiua animæ ad corpus. Nam huiusmodi actiõ à corpore necessario pendet. Est ergo actiõ distincta, atque vera, & propria creatiõ, cum fiat sine concursu materiæ. At vero in productione gratiæ, non est necessaria actiõ, quæ prius terminetur ad existentiam gratiæ, quam ad vnionem eius. Quia sicut gratia non habet esse independentem à subiecto, ita neque ex natura sua postulat, vt recipiat illud esse per actiõnem independentem à subiecto: vnaque enim res fit eo modo, quo postulat esse ipsius: si ergo ipsum esse non est independentem, ergo nec ipsum fieri: & similiter, si conferuatio non est per actiõnem independentem à subiecto, ergo neque productiõ: nam eadem actiõ, per quam res fit, si duret aliquo tempore, habet rationem conferuationis. Igitur ex illo exemplo animæ rationalis non potest colligi, prius gratiam creati, quam vniri: sed potius contrarium propter diuersam naturam vtriusque formæ.

Gratia, non quia posse-
tissima est,
propterea
postulat, vt
altera actiõ
creetur,
& altera
vnatur.

Secundo principaliter ostenditur contra hanc sententiam, gratiam ex sua speciali ratione, nimirum, quia est supernaturalis, ac perfectissima qualitas, nõ postulare, vt alia actiõne creetur, & alia vnatur subiecto: primo quidem, quia actus fidei, charitatis, & visionis beatificæ, supernaturales qualitates sunt in substantia, & Entitate sua, sicut ipsa gratia, & alij habitus infusi, & tamen hi actus effectiue fiunt à potentijs vitalibus, non solum quoad vnionem, sed etiam quoad entitatem ipsorum: vnde nõ prius natura creantur à solo Deo, quam fiant ab ipsis potentijs: quia saltem ex natura rei repugnat actibus vitalibus, vt aliter fiant. Et hoc euidentiùs ostendi potest in actibus liberis: nam si à solo Deo prius natura efficerentur in nobis, non posset intelligi libertas nostra circa tales actus. Quia, vel posita illa Dei

Franc. Suarez Tom. 3.

efficientia, esset in potestate hominis non influere in illum actum, neque illum sibi vnire, & hoc est impossibile: alias maneret actus vitalis productus à solo Deo in potentia, ipsa nihil operante, & consequenter neque amante, neque intelligente, neque aliquem effectum vitalem recipientem, vel operante, quod est impossibile: vel posita Dei efficientia, necessario voluntas influit in illum actum: & sic nulla relinquatur libertas: nec potest esse verum, quod Concil. Trident. sess. Trident. 6. definit, scilicet stante quacumque Dei motione præueniente, & antecedente consensum voluntatis, adhuc esse in potestate eius efficere, vel non efficere actum. Probat sequela, quia iuxta contrariam sententiam, priusquam Deus creet in voluntate nostra actum infusum charitatis, non potest voluntas illum elicere, neque aliquid aliud efficere: ex quo necessario sequatur infusio, vel creatio talis actus: postquam vero Deus se solo infundit, & creat in voluntate talem actum, non est in potestate voluntatis non habere illum, & influere eo modo, quo potest: ergo in his actibus non potest vlla ratione affirmari: prius natura fieri aut creati à solo Deo, quam fiant à voluntate, & vniantur illi: ergo similiter non est necessarium, gratiam prius creati, quam vniri.

Dices, gratiam esse perfectiorem qualitatem. Sed hoc præterquam quod incertum est (præferri si comparatio fiat cum visione beatifica) nihil in præfenti refert. Quia commune est omnibus his qualitatibus, quod sint supra capacitatem naturalem subiecti: ergo, si, hoc non obstantem, possunt aliqua earum fieri per educationem, & non per creationem, eadem ratione, tam gratia, quam quælibet alia qualitas supernaturalis poterit in anima fieri absque præuia creatione. Item ratio, & imperfectio, vnde hoc nascitur, non minus conuenit gratiæ, quam alijs qualitatibus, supernaturalibus, scilicet esse formam accidentalem, natura sua pendente à subiecto, tam in fieri, quam in esse: nam ex hac imperfectio nascitur, vt, quando gratia fit modo connaturali, non fiat sine concursu subiecti. Ex quo vterius argumentor contra Sotum, quod si sacramenta possunt effectiue attingere vnionem gratiæ cum anima, possint etiam attingere primam gratiæ effectiõnem: primo quidem, quia sicut gratia est forma spiritualis, & supernaturalis, ita & vnio gratiæ ad animam, & sicut vnio illa fit in anima tanquam in subiecto, à quo pendet in fieri, & conferuari: ita eodem modo gratia ipsa fit in anima, tanquam in subiecto, à quo pendet in fieri, & conferuari: ergo est eadem vtriusque ratio, quia non magis existentia gratiæ, quam vnio fit per creationem. Vnde potest alia formari ratio. Nam hæc vnio gratiæ ad animam, talis est, vt per illam pendeat gratia ab anima tanquam à causa materiali, non solum in vnione, & informatione, sed etiam in existentia sua, in quo differt multum inter vnionem nem hanc gratiæ, & vnionem animæ ad corpus: ergo si sacramenta possunt attingere illam vnionem gratiæ ad animam, possunt etiam attingere ipsum esse gratiæ. Quia illud esse communicatur ei in ipsa vnione, & quodammodo per illam ex parte materialis causæ, ante cuius concursum nulla est effectiõ gratiæ, cum ostensum sit non creati.

Tertio principaliter probandum est contra prædictam sententiam, gratiam, ob generalè rationem formæ creatæ non fieri prius natura per creationem à solo Deo, vt posterius natura possit per sacramenta animæ vniri. Nam si hoc conueniret gratiæ ex hoc præcise, quod forma creatæ est, conueniret omni formæ creatæ, & omni accidenti, consequens autem est valde absurdum. Alias sequitur: primo, non esse proprium animæ rationalis, vt prius natura fiat per creationem, & deinde vniantur subiecto: sed hoc commune esse omnibus animabus brutorum, immo omnibus formis materialibus & accidentibus omnibus, atque ita nulla forma fieret per educationem de

H

poten-

Forma acci-
dentalis non
prius crea-
tur, & posse-
rius vnatur.

potentia materiae, sed per creationem: consequens autem est contra recepta philosophiae principia, imo contra communem Ecclesiae doctrinam, quae sentit aliquid proprium in hoc habere rationalem animam. Et ratione conuincitur potest ex dictis in primo puncto contra hanc sententiam. Sequela probatur, quia si omnis forma prius natura fit à solo Deo, quam ab agente creato vniatur materiae, inquiri, an illa actio Dei fiat cum materiali concursu subiecti, necne. Primum dici non potest, quia materia non habet concursum, nisi circa formam sibi vnitam, seu quae sibi vnitur, nec forma pendet à materia in fieri, vel in facto esse, nisi quatenus illi vnitur in fieri, vel in facto esse: si ergo per illam actionem Dei forma fit, vt non vniatur materiae, non potest illa actio, aut terminus eius, vt sic, pendere à materia, nec materia potest ibi habere aliquem materialem concursum. Propter hanc enim causam nullum habet in productione animae rationalis, quia illa actio, per quam fit anima, secundum se praescindit ab vnione ad materiam. Si vero dicatur secundum necessesse est, dicere, illam actionem esse vere, ac proprie creationem: tum, quia non esteductio de potentia materiae: ergo non est actio ex subiecto, ergo ex nihilo, ergo creatio: tum etiam, quia illa est actio ex sola efficacia causae efficientis sine concursu causae materialis: ergo est creatio.

Vnde argumentor secundo, nam ex hoc principio sequitur, quod sicut sacramenta dicuntur (iuxta hanc opinionem) non efficiere gratiam, sed vnionem gratiae cum anima, ita dicenda sunt omnia agentia naturalia non efficiere formas, nec qualitates, educendo illas de nō esse ad esse, sed tantum vnire illas subiectis suis: patet sequela, quia supponitur facte prius natura à Deo: ergo non possunt iterum fieri à causis secundis, sed tantum vniri: maius enim miraculum esset, rem iam factam iterum facere, quam omnino ab actione cessare. Tertio hinc vltius sequitur, tales formas natura sua non pendere à subiecto in existentia sua, sed solum in vnione, sicut docet fides de anima rationali: probatur sequela argumento supra facto: quia huiusmodi formae sunt prius natura per actionem independentem à subiecto: ergo per illam vt sic, recipiunt esse independentem à subiecto. Rursus quamdiu sunt in subiecto, per hanc actionem permanentem continuatam conseruantur in esse, quod in principio acquirunt, ergo ablata vnione ad subiectum, per eandem actionem à subiecto independentem conseruantur in esse. Nam haec actio non est cur necessario tollatur, ablata vnione, quae est quid posterius, sicut philosophamur in anima rationali. Dici tamen potest, quod licet vnio harum formarum sit posterior, quam existentia earum, quae fit per creationem: tamen potest esse conditio necessaria, sine qua non debetur his formis existentia, & conseruatio: hoc enim modo interdum potest id, quod prius est pendere à posteriori: atque in hoc potest constitui differentia inter animam rationalem, & alias formas: illa enim, quia spiritalis & substantialis est, non requirit illam conditionem, seu vnionem ad corpus, vt conseruetur in esse. Sed haec responsio, licet ex parte verum dicat, tamē & petit principium, & non potest sufficientem rationem reddere eorum quae dicit, hoc enim inquirimus, cur vnio ad subiectum sit conditio necessaria, vt huiusmodi formae conseruentur in esse. Sane non potest alia ratio philosophica reddi, nisi quia necesse est, vt subiectum in suo genere causae materialis concurrat, non tantum ad vnionem, sed etiam ad ipsum esse harum formarum, & consequenter ad fieri & conseruari ipsius esse: vnde fit, vt huiusmodi formae secundum naturam suam, non possint prius natura fieri per creationem, cum non possint fieri sine concursu subiecti, seu materiae. Quarto, ex praedicto modo explicandi hanc sententiam sequitur, non solam formam, sed etiam vnionem formae ad sub-

iectum, prius natura fieri à solo Deo, quam à causa secunda: quod est aperte falsum: Sequela probatur, quia sicut forma est res creata, quae à solo Deo habet dependentiam essentialiam, ita vnio formae ad subiectum est res, vel modus creatus, qui etiā à solo Deo habet essentialiam dependentiam: vnde cessante actione causae secunde nō sola forma, sed etiam ipsa vnio conseruatur à solo Deo, & è contrario à principio potuisset fieri vnio à solo Deo sine causa secunda, quamuis non posset fieri à causa secunda sine Deo: ergo est aequalis ratio essentialis dependentiae à Deo in vnione, & in existentia formae: ergo si propter hanc causam prius natura fit forma à solo Deo, quam à causa secunda, etiam vnio prius natura fiet à solo Deo. Quod autem hoc consequens falsum & absurdum sit, patet, quia nihil relinquitur, quod possit fieri à causa secunda, & in praesenti materia nihil est, quod possit facere sacramentum. Nam si prius Deus gratiam creat, & prius se solo gratiam vnit, quid facient sacramenta? Et idem quae potest de igne, vel quolibet alio agente. Dices, facere eandem vnionem, quam prius natura fecit Deus secundum nonam dependentiam, vel actionem: Sed hoc vanum est, & absurdum: praeter naturas enim rerum est iterum agere, quod actum supponitur. Alias cur non ageret naturaliter quilibet res ad se ipsam efficiendam, vel conseruandam? Item saltem esset superflua efficientia naturalium causarum, si nullas res novas agerent, sed solum novas dependentias earundem rerum, quas Deus se solo iam effecerat.

Quinto obijci potest argumentum supra tractatum de actibus liberis: nam, si omnis forma, vel qualitas creata prius natura creatur à solo Deo, quam à causa secunda: ergo, cum actus liberi voluntatis sint qualitates creatae, prius natura fiet à solo Deo, quam à voluntate: ergo, quod talis actus, seu qualitas simpliciter fiat, nō est liberum voluntati humanae: quia non pendet ab illa in suo fieri simpliciter: ergo intelligi, vel explicari non potest, in quo consistat libertas talis actus. Nam quod Deus illum in me creet, non est mihi liberum, quia non pendet ex me, neque immediate, neque ratione alicuius prioris dispositionis. Nam de illa redibit eadem quaestio. Supposito autem, quod Deus in me creet talem actum, non est mihi liberum non influere, vt supra argumentabamur. Denique hoc inconueniens adhuc maius est in actibus intrinsecis malis, nā praeter omnia supra dicta sequitur, ante omnem efficientiam voluntatis creatae, Deum se solo creare in illa huiusmodi actus prauos, quoad omnem positum Entitatem eorum. Vnde vltius fit, Deum sola sua efficacia determinare voluntatem hominis ad obiecta praua istorum actuum prius natura quam ipsa se determinet. Quia posita in voluntate Entitate talis actus, necessario manet determinata ad obiectum nisi per Entitatem positam sui actus: haec autem omnia sunt valde falsa, & absurda: falsum ergo est dicere, de ratione formae: vt sic create, esse, vt prius natura fiat à solo Deo per creationem, seu dependentiam essentialē, quā ab agente creato. Quod si non conuenit hoc omnibus formis creatis, ex hac praecisa ac generali ratione, neque etiam conueniet gratiae, neque alicui formae, quae natura sua pendeat à causa materiali in fieri, & in esse: quia, vt ostensum est, nulla est in qualitate gratiae specialis ratio, quae huiusmodum productionis requirat.

Et per haec responsum est ad primum fundamentum illius sententiae. Ad secundum respondetur, falsam esse primam propositionem assumptam, scilicet in productione omnium formarum distinguendas esse duas actiones: vnā, qua producatur forma, & alteram, qua vniatur: nam in omnibus formis, quae sunt per educationem de potentia subiecti, falsum est. Quia cum non fiant sine concursu causae materialis, illa est actio, qua fiunt, pendet non solum ab agente, sed etiam à subiecto in genere causae mate-

Ad argum-
tum respon-
detur.

materialis: non potest autem pendere à materia, nisi in ea inest, eique vniatur: quia causalitas materiae non est, nisi per vnionem & sustentationem formae, vel actionis, quae ab ea causatur: & ideo illa met actio & tendit ad formam, & vnit illam subiecto, quia non facit illam, nisi in subiecto, & ex subiecto. Quinimo ex hac ratione colligo primo, non posse formam fieri ab agente naturali modo ac virtute naturali, nisi eadem actione, qua fit, vniatur subiecto: quia non potest fieri, nisi per educationem de potentia subiecti. Ergo nec potest fieri nisi per actionem qua in subiecto inhaereat, & à subiecto pendeat, sed per talem actionem necessario simul fit forma, & vnitur subiecto, quia actio inhaerens subiecto, vt sic, non facit, nisi formam inhaerentem, seu informantem subiectum: & hoc est facere vnionem, seu formam vnitam subiecto, & hoc sensu dixit Arist. per calefactionem non fieri per se primo calorem, sed calidum. Atque eadem est ratio de sacramentis, quatenus esse possunt instrumenta ad efficiendam gratiam. Nam licet ille modus agendi sit supernaturalis ex parte principij actiui, tamen ex parte subiecti concurrentis in genere causae materialis, & ex parte ipsius gratiae talis est, qualis iuxta naturam ipsius qualitatis esse debet, quia per illum non fit gratia per se, & independens à subiecto, hoc enim esset nouum & speciale miraculum: sed fit in subiecto, & dependenter ab illo.

Secundo infero, non posse formam, quae ex natura sua pender à subiecto in suo esse, vni effectiue subiecto ab aliquo agente, nisi eadem actione fiat ipsa forma ab eodem agente: atque adeo non posse eleuari sacramenta ad vniendam gratiam animae quoniam simul eleuentur ad efficiendam ipsam gratiam. Ratio patet ex dictis, quia per actionem illam ita vnitur forma, seu gratia subiecto suo, vt ab illo pendeat in suo esse: ergo eadem actione qua vnitur, recipit suum esse. Dices: quamquam hoc fit verum, considerato modo conaturali productioni talis formae, non tamen repugnare, Deum se solo prius producere gratiam, deinde vero vnire illam per sacramenta. Respondetur: primum, hoc non posse fieri sine speciali miraculo, nimirum quod forma natura sua dependens à subiecto fiat sine dependentia ab illo. Deinde adhuc posito illo miraculo necessariū esset, vt actio vniens talem formam cum subiecto, attingeret Entitatem ipsam seu existentiam talis formae: in quo est differentia inter huiusmodi formam, & animam rationalem, quae anima, quae prius natura creatur, quam vniatur, per solam actionem creatiuam recipit esse, per actionem vero vnitiuam solum recipit vnionem, & informationem: ita, vt illa actio non attingat ipsum esse, seu existentiam animae: at vero gratia, & quilibet alia forma pendens à subiecto, etiam si fingamus, miraculose prius creari independentem à subiecto: tamen, cum subiecto vnitur, necesse est, vt hoc fiat per actionem, & efficientiam, quae non solum vnionem, sed etiam Entitatem, seu existentiam formae attingat. Et ratio differentiae est, quia omnis forma debet necessario informare subiectum modo sibi conaturali: neque in hoc potest recipere varietatem, quia informatio est actus intrinsecus, & formalis, qui nec suppleri, nec variari potest, si forma est in se eiusdem rationis: anima ergo, quia ex natura sua est forma independens, ex se habet talem modum informandi, vt ratione illius non sustentetur à materia in suo esse, sed solum vniatur illi ad componendum vnum totum: at vero gratia, & omnis alia forma, quae natura sua pender à subiecto, quod informat, ex natura sua etiam postulat talem informandi modum, quo inhaereat subiecto, seu ab illo sustentetur in suo esse: & ideo necesse est, vt agens, quod attingit huiusmodi modum vnionis, attingat etiam ipsum esse talis formae. Quapropter, si illa forma prius facta supponitur à Deo per creationem, necessarium erit, vt vel

Franc. Suarez Tom. 3.

prius tempore creetur, & postea vniatur, vel, vt in eodem instanti recipiat esse per duas actiones, scilicet per creationem, & per educationem de potentia subiecti: quod quidem non videtur implicare contradictionem, quamuis fieri non possit sine speciali miraculo, non solum propter pluralitatem actionum totalium, seu per se ac sigillatim sufficientium ad dandum esse tali formae: sed etiam quia actio creatiuā semper est praeter modum connaturalem, quem talis forma postulat.

Tertio sequitur, quod in actione educitiua formae de potentia subiecti, non solum aptitudinalis, sed etiam actualis vnio, & inhaerentia illius actionis in subiecto, est de essentia seu necessitate talis actionis, quia illa actio natura sua talis est, vt essentialiter pendeat à causa agente, & materiali, in quo differt essentialiter à creatione, non potest autem pendere à causa materiali, nisi illi inhaereat. Et confirmatur, nam ob hanc causam calefactio, quae fit ab igne, verbi gratia, in ligno, non potest conferuari omnino extra subiectum: quia hoc ipso, quod extra subiectum fieret, iam esset creatio, seu per modum creationis. Dices, in calore, qui fit ab igne, vnio ad subiectum non est de essentia caloris: ergo in calefactione, per quam naturaliter fit calor ab igne, actualis inhaerentia in subiecto non est de essentia talis calefactionis. Respondetur negando consequentiam, quia calor non dicit dependentiam, sed formam dependentem, tamen calefactio dicit ipsam dependentiam caloris ab agente naturali (de hac enim calefactione loquimur) huiusmodi autem dependentia ex sua intrinseca & specifica ratione includit actualem habitudinem ad duplicem causam, agentem, & materialem. Et ideo sicut de essentia illius est, quod actu pendeat à tali causa agente, ita etiam quod actu pendeat à tali causa materiali. Vnde etiam fit, vt illa dependentia tam essentialiter sit passio, quam actio. Quae duo sola ratione in ea distinguuntur. Et hinc tandem patet responsio ad primam probationem contrariae sententiae, quomodo scilicet, quamuis gratia, & inhaerentia eius ad subiectum ex natura rei distinguantur, nihilominus vnica actione simul natura fiant: quia videlicet illa duo gratia & vnio per modum vnus sunt cum ipso composito, quod per se primo fit, scilicet homo gratus. Quare, licet possint inter se comparari illa duo secundum aliquem ordinem causalitatis, tamen in ordine ad agens, quod educit formam de potentia subiecti, simul ac per modum vnus sunt, & vnica actione. Quae cum essentialiter fit mutatio subiecti, simul facit formam, & vnit illam, seu introducit in subiecto.

Superest, vt respondeamus ad aliam probationem de dependentia essentiali creaturae à Deo. Ad quam primo responderi poterit: esto, concedamus in omni forma creata essentialiter includi dependentiam, & emanationem à Deo per modum creationis, non tamen esse necessarium intelligere hanc emanationem vt priorem natura, quam fit emanatio formae creatae à causa secunda principali, vel instrumentali. Hoc enim potissimum videtur probare omnes rationes supra factae in tertio argumentandi modo, scilicet, quod emanatio à Deo per modum creationis non praecedat ordine naturae in omni forma, ante actionem causae secundae. Et hoc satis est, vt nec in effectiōne gratiae sit necessarium dicere prius natura antecedere creationem eius. Et hoc sufficit vt, si sacramenta efficiant vnionem gratiae, necessario efficere debeant gratiam ipsam, quia cum non possint vnire, nisi rem existentem, si non supponunt factam, necesse est, vt vniendo efficiant. Dices: fieri posse, vt solum concomitanter se habeant effectio gratiae à solo Deo facta, & vnio per sacramenta effecta. Respondetur, si sacramenta praecise attingerent vnionem, & non existentiam ipsius gratiae, necessarium esset, vt saltem ordine naturae, antecederet creatio gratiae, quia

quia existentia formæ supponitur vnioni, quando per vnionem non fit. Et hac ratione in productione hominis creatio animæ ordine naturæ antecedit vnionem eius, quia actio, qua fit vnio, non attingit existentiam animæ, sed præcise vnionem. Si autem concedatur, quod sacramenta non solum efficiunt vnionem, sed etiam ipsam gratiam, hoc satis est ad id, quod in præsentia quaestione intendimus. Alia vero quaestio erit, an præter hanc efficientiam sit alia essentialiter inclusa in ipsa Entitate gratiæ propter dependentiam essentialem, quam habet à Deo, quatenus forma creata est, non antecedens ordine naturæ aliam efficientiam, sed concomitans, vel potius natura posterior, eo modo, quo terminus est posterior natura, quam actio, vel fieri eius. Quæ quaestio ad præsentem disputationem nihil fere refert, cum generale sit omnibus formis creatis, & in omnibus efficientijs causarum secundarum locum habeat.

*Nec, etiam
includitur
in omnibus
formis crea-
tio talis de-
pendentia à
Deo.*

Vt autem breuiter veram responsonem difficultatis positæ tradamus, respondendum secundo est, falsum esse, in omnibus formis creatis includi aliquam dependentiam essentialem à Deo, quæ sit vera emanatio, & effectio causæ efficientis omnino inuariabilis, & ipsam rei essentiam intrinsece constituat. Primo quidem, quia, licet non ponatur hæc dependentia prior natura, quam effectio causæ secundæ, tamen necessario dicendum erit, per illam fieri totum id, quod per actionem creaturæ, & consequenter omnem formam, quæ fit per actionem causæ secundæ necessario bis fieri, & manere à Deo, quo ad suam Entitatem, & existentiam: nam primo manet à creatura per actionem eius, & consequenter à Deo, vt concurrente cum creatura, quia non potest actio creaturæ esse sine concursu Dei, à quo pendet essentialiter non solum effectus creaturæ, sed etiam ipsamet actio creaturæ: & secundo dicitur iterum manere à solo Deo, per dependentiam essentialem, quæ dicitur esse vera creatio. Quinimo rursus sequitur, non solum Entitatem gratiæ, vel cuiusvis formæ hoc modo bis fieri, sed etiam ipsamet vnionem talis formæ cum subiecto bis etiam fieri: semel à causa secundæ & Deo concurrente & iterum à solo Deo per dependentiam essentialem: nam, vt supra argumentabar, cum hæc vnio sit modus creatus distinctus ab actione creaturæ: qui potest esse sine illa, etiam in sua essentia includit aliquam dependentiam à Deo inuariabilem, sine qua esse non possit. Rursus, cum effectio huius vnionis talis sit, vt non solum attingat modum vnionis, sed etiam Entitatem ipsius formæ, quia per illam pendet in esse à suo subiecto, vt supra dicebam: cum hoc (inquam) ita sit, sequitur vltimus omnem huiusmodi formam creatam, quando cumque fit à causa secundæ, trib. modis emanare à Deo, primo, quatenus fit à creatura cum concursu Dei, secundo, quatenus fit per dependentiam essentialem huius formæ, vt vnita, quomodo conseruatur à solo Deo, cessante actione creaturæ: tertio, per dependentiam essentialem ipsius formæ secundum se: quæ est distincta à præcedentibus: quia potest manere sine illis, vt si forma à subiecto separata conseruetur: & ideo est per modum creationis; & independens à subiecto, quod non habent duæ aliæ dependentiæ, & ideo non dicuntur esse essentielles ipsi formæ secundum se & absolute sumptæ. Sed hoc modo sola hæc tertia est essentialis, secunda vero erit essentialis vnioni, prima vero accidentalis vtriq;. At superfluum est, admittere tot modos effectio-num seu productionum eiusdem rei simul concurrentium, cum vnusquisq; eorum per se sufficeret ad effectum producendum, neq; apud vllum auctorem grauem huiusmodi doctrina reperietur. Neq; etiã quod omnis forma materialis dum educitur, simul creetur, simulque educatur à causa secundæ simul cum concursu Dei, & alio modo per se sufficiente fiat à solo Deo, Se-

cundo, hoc idem probatur alio modo: quia causa fecunda, dum calefacit, verbi gratia, simpliciter educit de non esse ad esse totam Entitatem caloris: ergo si in hac Entitate caloris essentialiter includitur creatio per dependentiam essentialem à Deo, sequitur, hanc ipsam creationem fieri ab igne producente calorem: quia non potest ignis facere calorem, quin faciat, quicquid est de essentia caloris: quia calor est entitas simplex, quæ cum fit, educitur de non esse ad esse virtute & efficacia illius agentis, à quo fit. Ergo totum id, quod est essentialiter calori, fit ab eodẽ agente. Hoc autem esse valde absurdum dupliciter declaratur. Primo, quia agens creatum non potest sua virtute creare. Ergo nec potest virtute sua efficere creationem. Vt enim omittam, esse difficillimum intellectu, quod creatio ipsa fiat per aliam actionem, tanquam terminus eius, quod in hac sententia concedendum necessario est: multo tamen difficilius, & impossibilius videtur, quod hoc fiat per virtutem agentis creati. Nam, si hoc agens non potest efficere creationem per modum emanationis à virtute ipsius, cur poterit illam facere per modum termini suæ actionis, cum non requiratur minor virtus ad efficiendum aliquid per modum termini, quam per modum actionis: Secundo, quia tota Entitas huius formæ pendet in suo esse, & fieri à causa materiali: ergo, si in intrinseco, & essentiali conceptu huius formæ includitur creatio, etiam illa pendebit in fieri, & in esse à causa materiali: quia non potest forma ipsa physica pendere à materia secundum Entitatem suam, quin omnia ea, quæ sunt de essentia eius, quatenus in ea continentur, & materia pendeant: sed contra rationem creationis est, vt habeat ex natura sua dependentiam à causa materiali, quia essentialis ratio creationis in hoc consistit, quod sit effectio ex nihilo, atq; adeo independens à subiecto.

Vnde argumentor tertio. Quia quando Deus conseruat calorem sine subiecto, vel adhibet nouam efficientiam ad conseruandum illum, vel non: si adhibet, ergo iam habet calor nouam dependentiam, quam antea non habebat: ergo illa dependentia essentialis, quam dicebatur habere calor secundum Entitatem suam, quæ non inhærebat subiecto, non erat sufficiens ad procreandam illam Entitatem, cum non fit sufficiens ad conseruandam illam: ergo superflue fingitur illa dependentia, cum præter illam addenda sit in omni statu caloris alia actio, vel effectio, per quam existat: Si vero dicatur, non esse necessariam nouam efficientiam ad conseruandum calorem sine subiecto præter illam dependentiam essentialem, quam habebat etiam in subiecto: hoc in primis repugnat communi sensui omnium Theologorum, qui sentiunt, non posse conseruari accidens sine subiecto, sine speciali ac miraculosa efficientia Dei: & præterea impugnatur ex dictis. Quia illamet dependentia essentialis natura sua pendet à subiecto non minus, quam ipse calor, vt ostensum est: quia si est de essentia caloris, necesse est, vt habeat eandem dependentiam à subiecto, quam habet calor: ergo ipsamet dependentia non potest conseruari sine subiecto, nisi aliunde suppleatur causalitas subiecti. Non potest autem suppleri ab ipsa dependentia per se ipsam, quia hoc nihil addit, ergo necesse est, vt suppleatur per nouum modum diuinæ efficientiæ: hic autem modus non est alius nisi, quod extra subiectum sit, vel conseruetur per modum creationis, non vero in subiecto: ergo in essentia caloris, vel alterius similis formæ non includitur aliqua dependentia essentialis per modum creationis: & consequenter nulla talis est essentialis dependentia inclusa in huiusmodi formis. Quia si aliqua esset futura, maxime esset per modum creationis, vt ratio in principio facta optime probat.

Vltimo argumentor, quia nullum est argumentum sufficiens ad fingendam huiusmodi dependentiam.

riam essentiali inuariabilem : cum enim dicitur essentiali esse creaturam, vt pendeat à Deo, non est sensus aliquam dependentiam determinatam esse de essentia creaturæ, sed entitatem creatam talis esse naturæ & essentia, vt existere non possit sine dependentia à Deo. Et hoc est verissimè: quia cum sit Ens per participationem non potest habere esse, nisi manans à primo fonte totius esse. Quia vero potest manare diuersis modis, & per varias actiones, quæ per se singulæ sufficiunt ad dandum esse: ideo essentia creaturæ non determinat dependentiam, sed quocumq; sufficienti contenta est. Et quamuis interdum postulet aliquem, tamquam sibi magis connaturalem, non tamen vt essentiali, aut vt simpliciter necessarium, cum de potentia Dei absoluta deleri possit. Vnde licet verum sit, quando Deus conferuat accidens sine subiecto, alio genere actionis illud conferuare, quam in subiecto, non inde fit, illam actionem, seu dependentiam esse essentiali accidenti, aut necessariam fuisse, dum accidens in subiecto conferuabatur, sed est noua actio seu dependentia, quæ diuina virtute fit, & succedit loco illius quam accidens habet in subiecto. Atque hæ rationes, præsertim tres priores, maxime procedunt de formis, quæ ex natura sua pendunt à subiecto, & per diuinam potentiam possunt dari, vel conferuari extra illud. De rebus vero, quæ natura sua postulant fieri per creationem, non tam euidenter procedunt rationes factæ. Quia illæ res nunquam possunt fieri per educationem, nec cum concursu causæ materialis, nihilominus tamen à paritate rationis potest sumi efficax argumentum. Nam si ratio Entis creati, vt sic, non consistit in hoc, quod per essentiam suam manet à Deo absque vlla dependentia media, nulla est ratio, cur aliquib. Entibus creatis hoc tribuatur. Item, quia si Deus miraculose efficeret animam leonis, verbi gratia, separatam, necessario faceret illam per creationem, & illa creatio esset quid distinctum à tali anima, & extra essentiam eius, cum possit talis anima existere sine illa creatione, & absq; tali genere dependentiæ: ergo eadē ratione, quando creatur anima rationalis, vel angelus, illa dependentia est aliquid distinctum & extra essentiam rei creatæ. Item, quia et in hac dependentia potest intelligi aliqua varietas manente eodem termino. Nam si eadem res fiat à solo Deo, vel fiat mediante aliquo instrumento, diuersa est actio dependentiæ. Potest autem vtroq; modo fieri, vt diximus in i. to. & dicemus iterum agentes de transubstantiatione.

Non possunt eleuari sacramenta ad efficiendam physicam gratiam, quin eleuentur ad efficiendam gratiam ipsam.

Ex his ergo omnibus facis aperte demonstratum est, supposito modo, quo nunc fit gratia in anima, non posse sacramenta eleuari ad efficiendum physicam gratiam, quin eleuentur ad efficiendam gratiam ipsam. Vnde ad secundam difficultatem facilius respondetur, quidquid sit, an possit creatura esse instrumentum creationis, gratiam tamen non creari. Et ideo ex hoc capite nihil obstat, quominus sacramenta esse possint instrumenta gratiæ. Quia gratia non fit sine concursu materiali animæ, à qua pendet in fieri, & conferuari. Et ideo non creatur, sed educitur de potentia obedientiali ipsius animæ. Neq; etiam proprie cōcreatur, vt aliqui loquuntur: proprie n. concreari dicitur, quod simul fit cum alio, quod eodem tempore creatur. In productione autem gratiæ, quæ fit per sacramenta, nullius rei creatio intercedit, sed fit solum qua dā veluti spirituales alteratio, seu mutatio perfectiua, qua per se primo fit animus, vel homo gratus Deo, ipsa vero gratia com producitur, seu de potentia anime educitur.

Tertia vero difficultas in principio posita plures continet, quæ communes sunt omnibus diuinis instrumentis, quibus supernaturalia, ac miraculosa opera efficiuntur, & longissimam disputationem requirerent, nisi in disput. 31. i. tom. late fuissent tractatæ, vbi sect. 7. explicuimus, quamnam sit illa virtus, per

Franc. Suarez Tom. 3.

quam possunt instrumenta Dei concurrere, quando eleuantur. Diximus enim, non esse rem aliquam superadditā, sed esse ipsammet entitatem rei, quæ hoc ipso, quod creata est, & subordinata primo agenti, est in potentia obedientiali actiua, vt efficiat, quid quod non implicat contradictionem respectu illius. Hæc enim ratio obedientialis potentiæ communis est sacramentis, quorum eleuatio diuina solum in hoc consistit, quod Deus altiori modo cōcurrit dando auxilium sufficientem, vt res operetur secundum hanc potentiam. Neq; ad hoc refert, quod sacramenta sint imperfecta in sua entitate. Quia hic concursus non fundatur in naturali eorum perfectione, sed in prædicta virtute obedientiali, & in infinita Dei virtute cui omnia subordinantur. Et ideo nihil refert, quod sacramenta consistant in motu, vel sono, dummodo aliquid entitatis habeant. Quamquam fortasse non efficiant solum per ipsum motum, qui est Ens imperfectum, seu modus Entis, & significatur nomine abluitionis vel vnctionis, sed per ipsamet res, quæ mouentur, vel applicantur, dum sacramenta sunt, vel accipiuntur, vt per oleum, aut species panis, &c. sic enim dixit Aug. aquam esse. Quæ corpus tangit, & cor abluir. Vnde nullum est inconueniens cōcedere, quamcumque creaturam quantumuis imperfectam posse à Deo assumi, vt instrumentum ad efficiendam aliam, si aliunde non inuoluitur specialis ratio contradictionis. Non est autem eadem ratio de relationibus diuinis: illæ enim propter suam infinitam perfectionem non possunt esse in potentia obedientiali ad aliquid agendum: & cum in suo essentiali, & adæquato conceptu includant essentiam diuinam, à qua est tota virtus agendi, ratione illius habent proprium ac determinatum modum agendi omnib. communem per modum vnius causæ primæ ac principalis: & ideo non possunt illæ relationes cū creaturis cōparari. Plura possem de hac potentia obedientiali actiua hoc loco adiungere, nisi in posteriori editione primi tom. dif. 36. sect. 6. id præstitissem.

Quæ est illa virtus per quæ possunt instrumenta Dei concurrere quando eleuantur.

De alia vero difficultate, quomodo sacramenta possint habere actionem præuiam, & an hæc necessaria sit in diuinis instrumentis, in prædicta disputatione, sectione 9. fuse etiam dictum est. Discipuli enim D. Thomæ in omnibus sacramentis conantur inuenire actionem præuiam connaturalem ipsis sacramentis, vt eleuari possint ad gratiam efficiendam, quæ actio præuia non recipitur in anima, sed in corpore hominis, vt est lotio, vnctio, & alie similes, quas censent sufficere, vt possint sacramenta efficere gratiam in anima corpori coniuncta. Et August. dicit, aquam Baptismi, corpus tangere, & cor abluere. Quæ doctrina fundamentum habet in D. Thomæ hic art. 1. ad 2. difficile tamen est, eam commode applicari omnibus sacramentis, præsertim si illa actio præuia requiratur, vt omnino necessaria ad efficiendam instrumentalem. Quod declaratur primo, discurrendo fere per omnia sacramenta. Nam in primis verba Eucharistiæ non habent actionem præuiam, vt possint esse instrumentum physicum ad efficiendam transubstantiationem, quæ est substantialis, & supernaturalis actio. Probatur antecedens, quia talis actio præuia non potest esse circa substantiam panis, & vini, quia illa non est subiectum transubstantiationis, sed potius definit esse per eam: neque etiam potest esse actio præuia circa accidentia. Nam si in eo mysterio consideretur actio, qua accidentia separantur à substantia & per se constituuntur, vel qua corpus Christi sub accidentibus constituitur, neutra est à verbis virtute naturali. Vnde neutra est actio præuia, de qua loquimur, sed est potius actio instrumentaria, quæ est supra virtutem naturalem verborum, & fit ex virtute & efficacia supernaturalis agentis. Ante hæc vero actionem nulla alia est, quæ circa accidentia versetur. Et eadē ratione probari potest, nullam esse actionem præuiam,

Viri sacramenta habent aliquam præuiam actionem, vt eleuari possint ad gratiam efficiendam.

quæ versetur circa Corpus Christi: nam præter illam actionem: qua constituitur sub speciebus, cuius Corpus Christi non est subiectum, sed terminus, nulla est alia actio præuia, quæ verba efficiant circa ipsum, & illa non est à verbis virtute naturali, sed instrumentali: ergo nulla potest ibi excogitari actio præuia. Nisi fortasse ipsamet prolatio verborum dicatur actio præuia. Quod non potest conuenienter dici: tum, quia illa actio parum refert ad soluendam difficultatem, de qua agimus, vt statim dicam: tum etiam, quia talis actio non tam est actio præuia instrumenti, quam actio, qua fit & constituitur in rerum natura ipsum instrumentum. Nam instrumentum illius actionis est verbum ore prolatum: ergo prolatio verbi non est actio, quæ fit ab instrumento, sed quæ antecedit ordine naturæ ipsum instrumentum: ergo non est actio præuia: quæ mediet (vt sic dicam) inter instrumentum ipsum, & actionem principalis agentis. Atq; hæc ratio procedit de omnibus formis sacramentorum, quæ in verbis consistunt: de quibus tamen dici potest, quod habent actionem præuiam, quia efficiunt species in auditu. Sed hoc quam sit impertinens, satis notum est. Quia neq; illa actio confert ad effectum sacramenti, neq; etiam si fingamus naturaliter vel supernaturaliter impediri, propterea impediretur sacramenti effectus. Dici etiam potest, verba efficere sonum in aere. Sed hoc, & non recte dicitur, quia verba non tam efficiunt sonum, quam sunt ipsa quidam sonus articulatus organis vitæ effectus. Et quamuis id esset verum, nihil referret ad præsentem questionem: quia neque illa actio confert aliquid natura sua ad effectum principalis agentis, qui est gratia, neque recipitur per se loquendo, in illo subiecto, in quo fit actio principalis agentis. Præterea, eodem fere modo fieri potest inductio in materijs sacramentorum: nam in primis in Eucharistia species sacramentales nullam habent actionem præuiam, vt conferant gratiam, sed solum necesse est, vt manducentur, quæ manducatio non est actio præuia ipsarum specierum, sed potius est passiva motio earum, & quasi applicatio ad agendum, ex qua ex natura rei solum sequitur contactus quidam inter corpus sumentis & ipsas species, qui per se non est actio specierum, sed solum consistit in propinquitate, & cõguitate duarum quantitatum. Et quamuis inde resultare possit aliqua alteratio materialis, vel intentionalis, facta virtute accidentium sacramentalium circa gustum, vel alia organa corporis manducantis sacramentum, tamen tota illa alteratio est impertinens ad effectum gratiæ: quia neque ex se confert aliquid ad illum, neque etiam est per se necessaria: nam, licet impediretur naturaliter aut supernaturaliter, non propterea impediretur effectus gratiæ. De alijs vero sacramentorum materijs, quæ consistunt in vsu, est alia specialis ratio: quia proxima materia sacramenti nõ est aqua, vel oleum, sed ipsa ablutio, vel vnctio: ergo hæc debet esse instrumentum: ergo non est actio præuia, nec potest fingi aliqua alia, quæ mediet inter hoc instrumentum, & actionem principalis agentis. Secundo ex hac inductione cogitur generalis ratio. Nam etiam si admittamus, nunc de facto antecedere aliquam actionem instrumenti circa corpus ante actionem gratiæ, quæ est à principali agente, non potest illa actio requiri, vt simpliciter necessaria in diuinis instrumentis: quia illa actio ex natura sua nihil confert ad spiritualem effectum principalis agentis, neque habet proportionem, vel naturalem connexionem cum illo: cur ergo existimanda est talis actio necessaria ad hunc effectum? In naturalibus enim instrumentis, quando antecedit actio præuia instrumenti, ex natura rei disponit aliquo modo ad effectum principalis agentis, cum quo habet proportionem, & non cum alio: & si hoc non haberet illa actio, atq; necessaria, neque vtilis conferetur ad effectum

principalis agentis: ergo cum actiones materiales sacramentorum ex se & ex natura rei nullo modo disponant, aut conferant ad effectum gratiæ, vel non sunt actiones præuiæ necessariae de potentia absoluta loquendo, vel si aliqua actio præuia est simpliciter necessaria homini non est sufficiens. Et confirmatur, ac declaratur. Nam ablutio, verbi gratia, super aquam nihil addit, nisi quod aqua per corpus aliquo modo fluat, seu moueatur, illud contingendo: incredibile autem est posse Deum efficere gratiam per aquam sic motam, & contingentem corpus, & non per aquam quietam, & propinquam, vel contiguam absque alia motione vel materiali actione: cum illa motio, quæ est ablutio, nihil ex se conferat ad actionem gratiæ, neq; habet maiorem proportionem, aut connexionem cum illa, quam ipsa aqua.

Quocirca, vera responsio ad prædictam difficultatem, vt opinor, est in diuinis instrumentis non esse simpliciter necessariam præuiam actionem connexionem instrumenti ante actionem & effectum principalis agentis. Et ratio est, quia, vt diximus diuina instrumenta non addunt potentiam naturalem, sed obedientialem, & ideo operantur ultra terminos naturalis perfectionis, propter quod in eis non attenditur naturalis connexio, quæ reperitur inter actiones eorum naturales, & effectus principalis agentis: solum requiritur, vt immediate influant in ipsum effectum Dei, vt eleuata ab ipso per speciem concursum non debitum naturali perfectioni eorum, in quo differunt ab omnibus naturalibus, & artificialibus instrumentis: hæc enim assumuntur ad agendum per virtutes eorum naturales, & ideo semper agunt effectum principalis agentis media aliqua actione sibi connaturali, quamuis non semper illa actio sit præuia, proprie loquendo ad actionem principalis agentis. Et hinc etiam oritur, vt diuersa naturalia vel artificialia instrumenta ad diuersos effectus requirantur: quia talis conditio instrumenti est accommodata tali actioni, & non alteri: at vero diuina instrumenta non habent hanc determinationem, quia solum assumuntur secundum obedientialem potentiam, quæ indifferens est ad omne id, quod non implicat contradictionem, propter infinitatem diuinæ virtutis, quæ omnia latius explicui in dicto primo tomo, disputat. 31. section. 6. & nona.

SECTIO II.

Vtrum sacramenta nouæ legis gratiam conferant, vt vera ac propria instrumenta physica.

IN præcedenti sectione solum diximus, quid possibile sit: in hac superest explicandum, quid fuerit de facto à Christo institutum: non n. quidquid est possibile, affirmandum est factum esse si omnino sit supernaturale, ac miraculosum, & reuelatū non sit ita factum esse, nec ex reuelatis satis colligi possit. Videtur aut ita esse in præsentia: quia q̄ sacramenta per physicam efficientiam conferant gratiam, solum est possibile per diuinā potentiam, & per maximum quoddam miraculum: sed hoc miraculum non est reuelatū, neq; est necessarium ad ea, quæ reuelata sunt: nam, vt ea omnia verum habeant, satis est, quod sufficiens sacramentum, ratione illius conferat Deus gratiam, quamq; sacramentum ipsum physice ac proprie illam non efficiat. Quod potest confirmari primo, ex modo loquendi sanctorum Patrum, qui sæpe tribuunt soli Deo totum interiore effectum sacramentorum. Cyprian. serm. de Baptismo Christi, sic inquit. *Cyp.* Remissio peccatorum siue per Baptismum siue per alia sacramenta donetur, propria Spiritus sancti est, & ipsi soli huius efficientiæ priuilegium manet. Verborum solemnitas, & facti inuocatio nominis, & si

qua in-